

www.e-rara.ch

Theologia Mariana

Sedlmayr, Virgil

[München], MDCCLVIII

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Ro 473 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-67881>

Quaestio VII. De conceptionis beatae virginis, et sententiae ei faventis titulo, ac certitudine.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



QUÆSTIO VII.

DE

CONCEPTIONIS BEATÆ VIRGINIS, ET SENTENTIÆ EI FAVENTIS TITULO, AC CERTITUDINE.

ARTICULUS I.

Utrum Conceptio Deiparæ dicenda sit immaculata?

N. 421. **O**bservo, à Lampridio cap. 9. fol. 60. haberi tanquam certum, quòd titulus *Immaculata* fuerit detractus à Conceptionis Festo tum à Clemente XI. tum ab aliis præcedentibus Pontificibus, unde etiam Magister Ludovicus Gotti Ordinis Prædicatorum postea S. R. E. Cardinalis in libro Polemico de vera Ecclesia p. 2. tom. 2. pag. 270. ait: ut nemo in animum inducat voluisse illum, id est (Clementem XI.) hoc factò dirimere controversiam, non illud appellat Festum *Immaculatae* Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ, sed Festum

Conceptionis ipsius Beatæ Mariæ Virginis *Immaculatae*. Quæstio igitur est, an Conceptio Deiparæ Virginis dicenda sit *immaculata*, idque etiam conformiter summis Pontificibus? circa quod

N. 422. Dico *primò*. Conceptio Deiparæ omnino dicenda est *Immaculata*. *Probat*ur *primò*. Beatissimæ Virginis Conceptio habet epithetum sanctitatis ab ipsa Virgine, sicut etiam Nativitas vel Assumptio, sed ipsa Virgo verè fuit sancta, & *immaculata* in sua conceptione, uti constat abundanter ex allegatis & probatis: ergo ipsa etiam Conceptio,

tio donanda est hoc titulo, sicut etiam Nativitas vel Assumptio. *Confirmatur.* Conceptio, Nativitas & Circumcisio Christi appellatur sancta à Christo concepto, nato, & circumciso in sanctitate: ergo etiam Conceptio Beatæ Virginis dicitur sancta, & Immaculata, quia beata Virgo in Conceptione fuit sancta, & immaculata.

N. 423. Probatur *secundò* ex ipsa voce *Immaculata*, nam hæc vox significat puritatem ab omni macula pro nunc, & aliquando habita, sicut vox *incorrupta* excludit omnem corruptionem quondam acceptam, aut vox *innocens* excludit omne peccatum aliquando commissum, aut vox *Virgo* omnem lapsum carnis etiam præteritum, nec sufficit, quòd vita præsens sit casta: ergo si beata Virgo dicitur Immaculata, etiam Conceptio ejus dicenda est immaculata, seu Deipara Virgo pro tempore Conceptionis. *Confirmatur;* D. Chrysostomus cum aliis græcis Patribus in Psalm. 118. pag. 687. expressè ait: *immaculatus est is, qui omni scelere, flagitio, & sorde liber est.* Et divus Ambrosius cum Patribus latinis Commentario in Isaiam apud divum Augustinum lib. 4. contra duas Epistolas Pelagii cap. 11. idem dicit, ergo hoc ipso, quòd Beata Virgo dicitur Immaculata, etiam Conceptio ejus appellanda est Immaculata, seu

Beata Virgo pro tempore Conceptionis.

N. 424. *Objicies primò.* Conceptio est actio, qua anima corpori infunditur, & hæc neque gratiæ, neque peccati originalis capax est: ergo non hæc sed Beata Virgo dicenda est sancta vel immaculata. *Respondeo,* denominationem primariam vocis *sancti* vel *immaculati* cadere indubiè super personam, sed hoc ipso, quod persona dicatur sancta vel immaculata, etiam secundariò actio vel passio personæ appellatur sancta, & immaculata, sic quia Christus in sua Conceptione, Nativitate, circumcissione fuit sanctus, etiam Conceptio ejus, Nativitas, aut circumcisio sancta est propter ipsius concepti, nati, circumcisi sanctitatem, sicut nemo dubitat: ergo idem dicendum est de Conceptione Beatæ Virginis.

N. 425. *Objicies secundò.* Sanctitas, quam Ecclesia colit, debet esse indubitata, & fide certa; sed sanctitas Conceptionis Deiparæ non est indubitata & fide certa: ergo hæc non colitur ab Ecclesia. *Respondeo,* Majorem & minorem in suo sensu vacillare; nam imprimis non omnis sanctitas est formaliter de fide in vi revelationis formalis, vel definitionis formalis ab Ecclesia factæ, sic nec formaliter revelatum, nec for-

formaliter definitum est, quòd Beatissima Virgo vel S. Joannes Baptista fuerint in utero sanctificati, ut rectè notat Suarez tom. 2. in 3. p. dist. 3. sect. 1. & tamen Ecclesia utriusque nativitatem celebrat. Similiter necdum formaliter definitum est, quòd Beatissima Virgo sit cum corpore & anima in cœlos assumpta, & tamen Ecclesia Assumptionem celebrat: adeoque major falsa est in sensu certitudinis ex fide formali seu universali sub præcepto omnes fideles obligante ad credendum. Pari modo minor argumenti vacillat, quia imprimis de sanctitate conceptionis dubitandum non est, & hæc est etiam certa de fide non quidem formaliter resultante ex revelatione vel definitione formali, sed virtualiter resultante ex connexionem necessaria cum formaliter revelatis, ac definitis, uti patebit ex infra dicendis.

N. 426. Objicies tertio. Ecclesia solùm colit conceptionem sanctam, non verò immaculatam, quia vox *sancta* in sensu ab Ecclesia intento solùm significat sanctitatem abstractam à primo vel secundo instanti; vox autem *immaculata* exprimit sanctitatem per negationem cujuscunque maculæ pro quocunque instanti, & per consequens non rectè tribuitur conceptioni. *Respondeo*, esse falsum, quòd Ecclesia tantùm colat conceptionem sanctam præcisivè ac-

ceptam à primo & secundo instanti, quia Sixtus IV. in Constitutione *grave nimis* de anno 1482. damnavit tanquam falsam, & erroneam hanc propositionem: *Ecclesia celebrat solùm Conceptionem spirituales, seu sanctificationem Beata Virginis.* Sanctitas autem præcisivè sumpta à primo & secundo instanti, vel indeterminate accepta pro primo & secundo instanti convenit solùm conceptioni spiritali, non naturali, quæ determinatè includit primum instans. Deinde Alexander VII. in Constitutione *Sollicitudo omnium* expressè declarat, quod objectum cultus Ecclesiæ sit *gratia primi instantis, in quo creata, & corpori infusa fuit sanctissime Virginis anima ab originali peccato præservata.*

N. 427. Objicies quarto cum Valdesio Epist. 6. pag. 66. & Epist. 13. pag. 158. Conceptio est vox generica comprehendens sub se tam præservationem à peccato quàm sanctificationem, & emundationem à peccato: ergo nequit dici determinatè *Immaculata* seu præservata à peccato. *Respondeo*, quòd hæc vox *conceptio* gramaticaliter sumpta sit quidem generica complectens sub se conceptionem naturalem seu primam animationem cum præservatione à peccato, & conceptionem spirituales, seu sanctificationem emundativam à peccato, sed prout est nomen Ecclesiasticum significans ex intentione Ecclesiæ: sic apertissimè falsum est, quòd sit vox

generica, cum expressè constet ex declaratione Summorum Pontificum, quòd sit sumenda specificè pro conceptione naturali primi instantis cum præservatione à peccato, uti immediatè priùs ostensum est ex Sixto IV. & Alexandro VII.

N. 428. Dico *secundò*. Ipsi Summi Pontifices dederunt Conceptioni Deiparæ titulum *Immaculatae*. Probat^{ur} *primò* ex denominatione formali. Sic Sixtus IV. in Extrav. *grave nimis* de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum appellat conceptionem *immaculatam*, quam Extravagantem Concilium Tridentinum postea Sess. 5. confirmavit, adeoque etiam titulum *immaculatae*; eundem titulum ei tribuit Leo X. in Const. anni 1518. incipiente: *Pia Christi fidelium & praesertim in Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis honorem tendentia vota, &c.* Hoc eodem titulo honorant Conceptionem Alexander VII. in Brevi Apostolico anno 1667. ad Philippum IV. Hispaniæ Regem. Innocentius XI. in Brevi ad Leopoldum I. Imperatorem anno 1678. Benedictus XIII. in Brevi ad Carolum VI. Imperatorem. Benedictus XIV. defacto felicissimè regnans titulum Conceptionis *Immaculatae* ubique usurpari posse mandat, & propriis Decretis praefigit, prout refert Benedictus Piazza Societat. Jesu in causa *Immaculatae* Concep-

Theolog. Mariana.

tionis fol. 454. Ex quo factò Summorum Pontificum fit optimum argumentum, quòd Conceptio Deiparæ sit ornanda titulo *Immaculatae*.

N. 429. Probat^{ur} *secundò* ex denominatione virtuali & æquivalenti. Sic Sixtus IV. in Extravag. *cum praeclara* approbat Officium Leonardii Nogaroli, in quo frequenter repetitur *Immaculata* Conceptio. Quam Extravagantem uti & priorem confirmavit Tridentinum Sess. 5. & sic etiam Officium Nogaroli, & in eo titulum *Immaculatae*. Innocentius VIII. anno 1489. confirmavit Ordinem Religiosorum sub invocatione *Immaculatae* Conceptionis Deiparæ Virginis. Idem fecit anno 1511. Julius II. confirmando hanc Professionem: *Ego soror &c. ob amorem & servitium Domini, & Immaculatae Conceptionis ejusdem Genitricis voveo, & promitto &c.* Paulus III. approbavit anno 1534. Breviarium cum his versiculis: *rota pulchra es Maria, & macula originalis non est in te.* Pius V. anno 1518. Officium instituit, in quo Conceptio Beatae Virginis vocatur *sancta*, & cultu dignissima. Gregorius XV. in Constitutione anni 1621. severè praecipit in Missa & Officio uti *Conceptionis* nomine, intelligendo conceptionem naturalem, & hanc appellando *sanctam*, & sic *immaculatam*. Alexander VII. statim ad initium sui

Z

sui Regiminis anno 1655. mandavit, ut titulus *Immaculate Conceptionis* Romæ typis imprimatur, & promulgetur. Innocentius XII. in Edicto 1721. Conceptionem appellat *sanctissimam*. Clemens XII. in constit. anno 1730. confirmat legem Academicam de propugnanda Conceptione Immaculata sub juramento solemni: ergo hæc vox est Ipsorum Pontificum formaliter & virtualiter.

N. 430. Objicies *primò*. Sacra Congregatio Cardinalium Sancti Officii anno 1644. edidit Decretum sub Urbano VIII. in quo fuit inhibendum, ne Titulus *Immaculate* detur Conceptioni Beatæ Virginis, & Præceptum, ut solum dicatur *Conceptio Immaculate Virginis*. *Respondeo*, hoc decretum habendum esse pro commenticio, aut saltem subreptio, uti demonstrat Thomas Strozzi in Controversia historica de Conceptione Virginis p. 2. lib. 10. cap. 2. pag. 524. quod inde etiam fundamentum habet, quia nullibi exstat ejus Archetypum, vel exemplar authenticum, neque Sedes Apostolica hoc decretum approbavit vel confirmavit, uti certum est, imò sub Urbano VIII. formatum dicitur, & sub ipso nunquam comparuit. Econtra hæc vox *immaculata* fuit à pluribus Pontificibus, & ab ipsa Synodo Tridentina saltem virtualiter approbata, ac confirmata.

N. 431. Objicies *secundò*, Summi Pontifices, dum utuntur titulo *Immaculate* non faciunt id approbative aut assertive ex propria opinione, sed tantum id faciunt recitative aliorum pietati vel opinioni obsecundando: ergo ex facto Pontificum nihil concluditur. *Respondeo*, hoc esse aperte insubsistens, quòd Pontifices solum recitative, & ex aliena opinione titulum *immaculate* enuntiant in suis decretis; nam tunc *recitative* solum aliquid effertur, quando tantum refertur, quod ab aliis dictum est, non affirmando, aut approbando, atqui Summi Pontifices non simpliciter referunt, quod ab aliis dicitur, sed ipsi hoc asserunt, & titulum ab aliis usurpatum approbant. Sic Leo X. in Bulla incipiente: *Pia Christi fidelium, & præsertim in Immaculate Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis honorem tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus, &c.* Hunc titulum non recitative ex aliena mente proponit, sed ex propria mente enuntiat. Hoc modo etiam Innocentius VIII. & Julius II. dum Religionem Monialium ex vi Regulæ, & proprii instituti colentium immaculatam Deiparæ Conceptionem approbant, simul etiam titulum ab instituto probasi positum assertive proponunt, & approbant, quod etiam faciunt alii Summi Pontifices approbantes Officia titulo *immaculate* Conceptionis inscripta, utpote ad hoc ordinata.

nata, & instituta, ut colatur immaculata Deiparae conceptio, sub quibus terminis Sixtus IV. approbavit Officium Leonardi Nogaroli in Constit. cum *praeclara*, item Innocentius VIII. in Bulla incipiente: *inter innumera*: Julius II. in Bulla ad Statutum *prosperum*.

N. 432. Objicies *tertio*. Ecclesia solum permissivè se habet erga titulum Immaculatae Conceptionis, dum eum enunciat, cum eum expressè etiam inhibeat, ut patet ex facto Gregorii XV. qui jussit nuda voce *Conceptionis* uti loco sanctificationis; ergo hic titulus non est usurpandus. *Respondeo*, esse falsum, quod Gregorius XV. jussit nuda voce *Conceptionis* uti, vel quòd hic titulo Immaculatae Conceptionis sit adversus, imò hic Pontifex hoc ipso facto hunc titulum fovet, nam ideò excludit vocem *sanctificationis*, & jussit loco ejus uti voce *Conceptionis*, quia Adversarii vocem *sanctificationis* usurpant cum sensu, quòd Deipara fuerit post instans Conceptionis in utero sanctificata, quia ergo Ecclesia sentit, Beatam Virginem esse sanctificatam in ipso instanti naturalis conceptionis seu animationis, & hanc ipsam conceptionem colit, ideò mandat Gregorius XV. in Missa & officio uti non nisi voce *Conceptionis* loco sanctificationis, per quod non dicit *nuda* conceptionis, nec excludit prädicatum *immacu-*

lata, sed hoc implicitè saltem includit, cum expresse excludat ab objecto cultus sanctificationem post instans Conceptionis, adeoque implicitè velit objectum cultus esse ipsam Conceptionem, & hanc tanquam sanctam & immaculatam, cum Ecclesia non colat, nisi quod sanctum est.

N. 433. Objicies *quarto*. Clemens XI. in Bulla: *commissi nobis* titulum *Immaculatae* tribuit Virgini, non ejus Conceptioni, & dum in quadam urbe Italiae hæc Clementina Constitutio reimpressa esset sub hoc titulo: *ut festum Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae, &c.* ipse Clemens 1709. die 12. Octobris Ordinario loci mandavit, ut istius impressionis Auctores severè redarguat, & ejus Exemplaria supprimat: ergo Sedes Apostolica titulum *immaculata* inhibeat, & usum ejus abolitum vult. *Respondeo*, Clementem XI. justè reprehendisse mutationem sui Decreti, quia ex generali regula semper standum est verbis formalibus Pontificii decreti, nec immiscenda sunt alia pro libitu, etiamsi pia, & vera juxta illud Deut. *non adderis ad verbum, quod vobis loquor, nec aufereris ex eo.* Quod autem ipse titulus *Immaculatae Conceptionis* per se acceptus non displicerit Clementi XI. evidens est imprimis ex hac ipsa Bulla: *commissi nobis*, quia in hac festum *Concep-*

tionis universis fidelibus sub præcepto servandum proponit, & expressè insinuat se intendere *ampliare venerationem & cultum plurimum Romanorum Pontificum Prædecessorum suorum*, qui alius non est, nisi cultus *Immaculatae Conceptionis*, quia pro hoc Sixtus IV. speciale, ac proprium Officium ordinavit, & hunc tanquam *nunquam immutatum ab Ecclesia* juxta piam sententiam celebrari declarat Alexander VII. & denique ipse Clemens XI. de permettendo titulo *Immaculatae Conceptionis* ab Inquisitore Bononiensi interrogatus per Sacram Congregationem S. Officii anno 1712. respondit, liberè posse imprimi conciones, & alia Themata, in quibus Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis titulus *Immaculatae* tribuitur.

ARTICULUS II.

Utrum Sententia favens Immaculatae Conceptioni vocanda sit Scotistica, vel potius antonomastice pia & Catholica?

N. 434. **O**bservò, Joanni Duns Scoto Doctori Subtili nuncupato ex Ordine Minorum eam laudem deberi, quòd fuerit invictus defensor *Immaculatae Conceptionis*, & eam in lib. 3. Sent.

dist. 3. q. 1. ratiõibus ex universali Christi Redemptione desumptis mirificè stabiliverit; nam cum Christus perfectissimus Mediator sit, debuit perfectissimum gradum median-di habere, quem tamen non haberet, si beatam Virginem non præservasset à culpa originali, idque tripliciter, *primo* non haberet *relatè ad Deum*, cui *reconciliat*, quia Christus non summè placaret Deum pro culpa Adæ, nisi præveniret, ne ab aliquo offenderetur. *Secundò* non haberet *relatè ad malum*, à quo *liberat*, quia non summè liberaret à malo, si neminem præservaret ab actuali incurfione originalis peccati, quæ poena gravissima est peccati Adamitici. *Tertio* non haberet *relatè ad obligationem personæ*, quam *reconciliat*, quia persona reconciliata non summè foret obligata Mediatori, nisi ab ipso bonum præcipuum, quod est ipsa innocentia, & præservatio à culpa, obtineret, ita discurret Scotus, & illustrissimè propugnat *Immaculatam Conceptionem*, an verò idcirco debeat *Sententia Immaculatae Conceptioni favens* vocari antonomastice *Scotistica*, quasi Scoto Auctori propria hîc inquirimus? quia Lampridius passim in suo opere de Superfitione vitanda, & in Epistolis de hac materia eam appellat *Scotisticam* quasi ei ut Authori propriam; circa quod

N. 435. Dico *primò*, sententia favens Immaculatæ Conceptioni immerito appellatur antonomasticè Scotistica, quasi Scotò Authori propria. Probatur: hanc sententiam jam ante Scotum docuerunt præter sanctos Patres superiùs allegatos S. Joannes Damascenus dictus Theologiæ Scholasticæ prodromus seu Præcursor circa annum 731. Orat. 1. de Nativ. Dei Genitricis pag. 330. in hæc verba: *ò beatos Joachimi lumbos, ex quibus prorsus immaculatum semen fluxit.* Et S. Petrus Damianus circa annum 1050. serm. 41. de Assumpt. B. Virg. pag. 113. *Caro Virginis ex Adam assumpta maculas Adam non admisit.* Et S. Anselmus circa annum 1081. lib. de Concept. passiva B. Virginis Mariæ à pag. 142. Operum S. Anselmi dicens: *de Domina nostra, quam in Matrem elegit ineffabilis Dei misericordia, dicere, morte peccati, qua per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in suo conceptu pręgravari, animus evitat, lingua fateri non audet.* Item Petrus ex Abbate Cellensi Episcopus Carnotensis circa annum 1170. his verbis: *credo, dico, assero, & juro, Beatissimam Virginem nostram in aeterna prædestinatione singulari privilegio munitam, nec à sua conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse, & permansisse illibatam.* Alexander de Hales dictus Doctor irrefragabilis ex Ordine Minorum circa annum 1235. qui in suo Mariali lib. 3. cap. ult. narrat, se singulis annis die 8. Decembris morbo vexatum fuisse, donec opinionem Immaculatæ Conceptioni adversam mutaverit, & diem il-

Theolog. Marianæ.

lam festivam tenuerit. S. Thomas Aquinas Doctor Angelicus nuncupatus circa annum 1265. in lib. 1. sent. dist. 44. quæst. un. a. 3. ad 3. dicit: *puritas intenditur per recessum à contrario, & idè potest aliquid creatum inveniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, si nulla contagione peccati inquinatum sit, & talis fuit puritas B. Virginis, qua peccato originali, & actuali immunis fuit; fuit tamen sub Deo, in quantum erat in potentia ad peccandum.* De cujus testimonii legitimitate nemo jure dubitare potest, quamvis etiam verum sit, quòd S. Thomas vitio corruptorum in aliis locis, & quidem frequentius etiam contrariæ adhæreat; Iterum divus Bonaventura Doctor Seraphicus ex Ordine Minorum circa annum 1265. serm. 2. de B. Virg. in ea verba: *Ave gratia plena,* pag. 389. inquit: *solus Filius Virginis fuit ab originali culpa immunis, & ipsa Mater ejus Virgo, credendum est enim, novo sanctificationis genere in ejus conceptione primordio Spiritus sanctus eam à peccato originali, non quod infuit, sed quod infuisset, redemit, atque singulari gratia præservavit.* Ex quibus testimoniis evidens est, quòd doctrinam Immaculatæ Conceptioni faventem non primus tenuerit Scotus, utpote qui primùm floruit anno 1300. atque adedò Auctor ejus non fuit, ut nomenclaturam sententiæ Scotisticæ ab ipso habere potuerit.

N. 436. Dico *secundò*. Sententia favens Immaculatæ Conceptioni rectè, & antonomasticè vocatur *piã*: Probatur Autoritate Alexandri VII. qui

A a

ei

ei hanc nomenclaturam indidit in Bulla, quæ incipit: *sollicitudo omnium*. Ubi expressè ait, quòd innovet, & sub censuris observari mandet constitutiones editas in favorem *sententiae afferentis, animam Beatæ Virginis Mariæ in sui creatione & in corpus infusione Spiritus sancti gratia donatam, & à peccato originali preservatam fuisse, nec non & in favorem festi, & cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparæ secundum piam istam sententiam exhibiti*. Ex quo apparet, quòd non solum communis Doctorum consensus, & omnes ferè Catholici, sed ipsa etiam Sedes Apostolica in hanc nomenclaturam conspiravit, ita ut antonomasticè ac propriè vocetur pia, à cultu nempe Immaculatæ Conceptionis, qui indubitanter pius est secundum hanc sententiam exhibito, si enim piè colimus Virginem sine labe conceptam, etiam piè sentimus, eam esse sine labe conceptam.

N. 437. Objicies. Hæc sententia in Tridentino pietatis titulum non obtinuit, licèt Cardinalis Pacecus id expetierit, ut hæc sententia tanquam pia declararetur, quòd nimirum *piè creditur, Beatam Virginem absque originali peccato conceptam esse*: ergo hic titulus non est huic sententiæ proprius. *Respondeo* ex Cardinali Palavicino lib. 7. hist. Concil. Trid. cap. 7. pag. 660. plerosque ex Patribus Concilii ivisse in hanc sententiam, & fuisse declarationem impeditam ex acri intercessione quorundam Episcoporum ex Ordine Dominicano, quod autem hic im-

peditum fuit intra Concilium, hoc pro nunc fuit suppletum à Summo Pontifice extra Concilium, dum pietatis titulum tum cultui Immaculatæ Conceptionis, tum sensui seu sententiæ attribuit, & inde ex communi etiam sensu sententiæ eximeris Beatam Virginem ab originali pietatis titulus adeò proprius evasit, ut quis audiens sententiam piam nominari, statim intelligat, quòd sermo sit de Immaculatæ Conceptionis sententia, & sic meritò vocatur antonomasticè pia.

N. 438. Dico *tertio*, sententia eximens Deiparam ab originali meritò vocatur *Catholica*. Probat. Vox *Catholica* idem sonat ac universalis, atqui sententia eximens Beatam Virginem ab originali defactò in Ecclesia est universalis: ergo meritò vocatur *Catholica*. min. prob. Alexander VII. in Constitutione: *sollicitudo omnium*, de pia sententia ait: *jam ferè omnes Catholici eam complectuntur*, & adeò, ut ea sola ex Apostolicæ Sedis mandato, seu publicè seu privatim doceri, & exaudiri in Ecclesia possit, adeoque est verè sententia universalis in Ecclesia & inde *Catholica*.

N. 439. Objicies. Si sententia eximens Beatam Virginem ab originali esset *Catholica*, tunc jam foret de fide catholica, sed juxta decreta Pontificia necdum est de fide catholica, cum necdum sit definita: ergo non est dicenda sententia catholica. *Respondeo* cum Dominico Banez in 2. 2.

D. Tho.

D. Thomæ q. 11. quòd aliud sit fides catholica, & aliud doctrina catholica, sunt enim aliqua, quæ universaliter docentur in Ecclesia Catholica, quæ tamen non sunt fides catholica, vel de fide catholica, uti quòd Beata Virgo sit cum corpore & anima in cœlos assumpta, quòd sit sine peccato originali nata, & concepta, & alia plura; adeoque sententia favens Immaculatæ Conceptioni merito appellatur catholica.

ARTICULUS III.

Utrum sententia pia sit ab Ecclesia certò definibilis tanquam veritas fidei?

N. 440. **O**bservo, Melchiorem Canum lib. 7. de locis Theol. cap. 3. conclus. 4. & Gabrinam tom. 3. de præscript. pag. 267. negare absolute, quòd hæc controversia sit definibilis, quibus videtur accedere dubium quoddam ex hoc, quòd Sedes Apostolica jam toties à summis Principibus fuerit interpellata ad definiendum, & tamen nunquam definiert; unde videtur posse dubitari, an sit definibilis? Quæritur ergo, an sententia pia ab Ecclesia sit certò definibilis? ad quod

N. 441. Dico, pia sententia est certò definibilis, ita Orator Regius Orat. 9. ad Paulum V. pag. 30. dicens: *hoc esse ita evidens, ac certum, ut contrarium asserere, non sit bene sentire de clavibus Ec-*

clesia, & probatur primò Auctoritate Pauli V. qui interpellatus à Legato Philippi III. Hispaniarum Regis apud Wadingum de Legatione orat. 9. pag. 289. respondit: non de sua, ut definiat, potestate, sed de definitionis convenientia, ac necessitate disputari. Item de Concilio Tridentino refert Catherinus lib. 7. cap. 7. p. 1. hist. Trid. dicens: quòd licet à Concilio definitio fuerit expetita, non tamen fuerit secuta non propter rei impossibilitatem, sed quia pro temporis conditione consultius videbatur prius adversus hæreses manifestas, quam de controversiis inter Catholicos agere: ergo ex hoc, quòd Ecclesia precibus interpellata Summorum Principum definitionem non susceperit, nondum sequitur, quod definire non potuerit, aut res dubia sit, an definiri possit, quia satis declarat Ecclesia, quòd possit, & multæ aliæ rationes sunt, quæ actualem definitionem impediunt.

N. 442. Probatur secundò ex sententia Summorum Pontificum publicis decretis expressa, in quibus, dum de definitione hujus mysterii agitur, non dubitanter loquuntur, an definire possint, sed expressè definiendi potestatem insinuant, sic Sixtus IV. in Extravag. *grave nimis* anno 1483. edita expressè ait, sententiam affirmantem peccatum originale in Beata Virgine non esse hæreseos, vel gravis peccati damnandam, subdendo rationem, *cum nondum sit à Romana Ecclesia vel Apostolica Sede decisum;* quam Extravagantem ipsum Tridentinum postea

Sess. 5. de peccato originali confirmavit. Idem fecit Paulus V. in diplomate Regis pacifici anno 1616. emissio dicens: *donec articulus hujusmodi à sancta Sede fuerit definitus.* Et Alexander VII. in Bulla *Sollicitudo omnium* anno 1661. inquit: *quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non fuerit.* Ex quibus luculenter constat, quòd Summi Pontifices expressè insinuent, se habere potestatem definiendi hanc controversiam; cum certum sit, quòd expressis his suppositionibus, & insinuationibus non velint fideles decipere, ut credant, Apostolicam Sedem definituram esse aliquando id, quod definiti non potest. Unde tanquam certum manet, quòd hæc potestas non possit vocari in dubium.

N. 443. Objicies primò. Si Pontifex haberet certam potestatem definiendi mysterium, tunc instantibus Summorum Principum precibus rogatus indubiè definiret: ergo hoc ipsum, quòd non definit, signum est, quòd ipsemet dubitet de sua potestate. *Respondeo primò*, dando rationem Pauli V. qui instantibus precibus Hispaniarum Regis rogatus respondit Legato, *se probe scire, quid possit, nec agi hic de sua, ut definit, potestate, sed de convenientia, ac necessitate; in re tanti momenti lento gressu procedendum esse.* Addidit ulterius laudatus Pontifex, *manifestius esse, hanc controversiam esse definibilem, quam ut multis argumentis probetur:* ergo cum ipse Pontifex nullo modo dubitet de mysterii definibilitate, nec à nobis revocandum est in dubium. *Respondeo se-*

cundo, dando rationem Illustrissimi Cardinalis Gotti tom. 4. de verit. Christian. Relig. p. 2. cap. 41. *quòd non omnes veritates eodem tempore ab Ecclesia definiantur, sed eo tempore, quo Spiritui sancto visum est.* Solet autem Spiritus sanctus Ecclesiam successivè docere, & illustrare usque ad consummationem mundi, unde ratio, quòd summus Pontifex non omnia definibilia simul definit, sumenda non est ex rei impossibilitate, sed quia nondum visum est Spiritui sancto, seu quia adhuc Deus sibi reservavit, quemadmodum illud Act. 1. *non est vestrum nosse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate.*

N. 444. Objicies secundò cum Lampridio cap. 12. pag. 91. & cap. 13. pag. 93. de superstit. vit. voventes Immaculatæ Conceptionis tutelam timent sententiæ suæ damnationem, & contrariæ definitionem, ut patet ex verbis ad vota sua appositis: *juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita, aut deinceps edenda: ergo ipsorum sententia non est definibilis.* *Respondeo*, hæc verba non esse timentium damnationem, sed sperantium definitionem; nam imprimis juxta Decreta Summorum Pontificum jam edita sponte vovent & jurant, se eandem sententiam defensuros esse arctiori vinculo tanquam veritatem catholicam necessariò credendam, & sic non desperant definitionem, nec vota sic emittunt, eò quòd credant impossibilitatem definitionis, sed potius quia piè sperant, & expectant.

ARTICULUS IV.

Utrum unice Sententia pia sit positivè definibilis tanquam vera?

N. 445. **O**bservo præsupposito tanquam certo, quòd hæc controversia sit definibilis, ulterius inquiritur, utrum utraque sententia pia & minus pia, id est, Beatam Virginem eximens, & maculans peccato originali æqualiter sit definibilis? circa quòd punctum Lampridius cap. 5. p. 36. cap. 8. pag. 56. cap. 9. pag. 68. & cap. 12. pag. 87. sententiam piæ adversam tam confidenter existimat esse definibilem, ut dicat vel cras eam posse definiri, quando cras, ait, potest à Romanis Pontificibus deprehendi veritas in contraria Thomistarum sententia. Quo observato.

N. 446. Dico: sola sententia pia est positivè definibilis tanquam vera. Ita Orator Regius ad Paulum V. orat. 9. apud Wadingum de legat. §. 7. Probatur primò: quando sententiæ adversæ maculanti Virginem obest principium certum ad positivam definibilitatem, tunc non est positivè definibilis, sed obest ei principium certum ad positivam probabilitatem, ergo non est positivè definibilis. Major est per se clara, quia certo non opponitur nisi falsum. min. prob. definitio Apostolica est principium certum, sed Sixtus IV. in Constitutione *grave nimis* à Tridentino confirmata definivit, quòd *assertio* dicentium, piam sententiam esse hæreticam, vel continere peccatum

mortale, quale est, si esset erronea, temeraria, vel scandalosa in fide, sit falsa, erronea, & à veritate penitus aliena, & quia damnatio unius propositionis est definitio alterius oppositæ, ideò simul definivit, quòd pia sententia non sit hæresis, non sit error in fide, & quòd quà talis nunquam possit declarari, & damnari, & per consequens, quòd sententia ei opposita non amplius possit definiri, ergo sententiæ piæ adversæ obest principium certum in ordine ad positivam probabilitatem.

N. 447. Probatur secundò: ex absurdis à Deo nunquam permittendis; sequeretur enim, quòd, si Ecclesia sententiam piam damnaret ut hæreticam vel erroneam, omnes à Sixto IV. vel penè omnes summi Pontifices errassent in materia morum, tot modis piam sententiam fovendo, exaltando, & contrariam supprimendo, omnes fideles à tribus & ultra sæculis ad publicum cultum invitando, universaliter præcipiendo, & indulgentiis donando; deberent insuper Summi Pontifices tot Constitutiones Apostolicas in favorem piæ sententiæ editas tanquam irritas declarare, omnia Officia Ecclesiastica, in quibus Beatæ Virginis Conceptio sancta & cultu dignissima prædicatur, interdiceret, templa, & Altaria Immaculatæ Conceptioni sacra veluti falso sanctitatis titulo profanata expiare, omnia signa, & numismata Immaculatæ conceptionis mysterium repræsentantia ab oculis fidelium remove, quæ omnia utique, & alia plura summè absurda, & scandalosa forent in Apo-
sto-

stolicæ Sedis, & Romanæ Ecclesiæ contemptum, & Hæreticorum irrisionem cessura, & ideo à Deo, qui Ecclesiæ suæ assistentiam promisit, certè non permittenda, & sic possibile non est, ut sententia piæ adversa sit definienda.

N. 448. Objicies. Summi Pontifices æqualiter loquuntur de utraque parte, ut patet ex decreto Sixti IV. quod ita habet: *quamdiu per Sedem Apostolicam altera pars definita non fuerit*: ergo utramque sententiam supponunt, & agnoscunt definibilem. *Respondeo*, Summos Pontifices loqui de definibilitate negativa, quatenus cùm neutra adhuc sit definita sive definitione approbante sive reprobante, ideo quævis rectè dicitur definibilis negativè hoc sensu, quod necdum sit reprobata, & oppositum necdum sit definitum definitione approbante, & idcirco etiam ipsa nondum sit definita definitione reprobante, quam negativam definibilitatem utraque pars æqualiter possidet ex mente, & sensu Pontificis, qui tamen non loquitur de definibilitate positiva sumpta ex veritate objecti, quia duo contradictoria non possunt simul esse vera, ideo hoc sensu non agnoscit Pontifex utramque definibilem, neque insuper ex apparentia veritatis Pontifex utramque æqualiter positivè vult esse definibilem, quia vi ipsius decreti Sixtini sententia pia alteri præfertur, cùm expressè juxta piam sententiam cultum statuatur, Missam, & Officium instituat, indulgentiis ad eam amplectendam invitet, & omninò assertionem illam

damnet, qua pia sententia vocatur hæresis, vel peccatum mortale, cùm interea adversæ sententiæ alium favorem non exhibeat, quàm quòd eam nondum absolutè anathemate feriat, & expressè proscribat.

ARTICULUS V.

Utrum Sententia pia sit in statu definibilitatis proximæ?

N. 449. **O**bservo, definibilitatem dividi solere in remotam, & proximam, remota consistit in veritate objecti ad fidem vel mores Ecclesiæ spectantis, & ad fidelium pietatem conducentis, uti revera est Immaculata Conceptio, nam imprimis probavimus, esse unicè definibilem, idque ex veritate objecti, quia oppositæ sententiæ obest principium certum in ordine ad definitionem juxta dicta; est insuper ad fidem spectans utpote virtualiter saltem, & implicite revelata in Scripturæ locis frequentissimè jam allegatis, nec non ad mores, & pietatem fidelium, quia agitur de cultu Deiparentis, ejusque honore sito in immunitate à peccato, quam ipsa Virgo omni alteri honori præfert, sic ergo pia sententia pro certo remotè ex veritate objecti est definibilis; sed inquiritur utrum etiam proximè sit definibilis, id est, utrum non solum habeat veritatem objecti definibilis in se, & in esse rei, sed etiam in esse noti quoad nos, ita ut hæc noticia sufficiens fuerit etiam ad alios articulos definiendos? quo observato.

N. 450. Dico. Sententia pia est in statu definibilitatis proximæ. Ita teste Vega à num. 322. *omnes fermè hujus ævi Doctores.* Inter alios, quos allegat, hoc expressè affirmant Suarez, Ægidius, Salazer, Granado, Wadingus, Bonacina, Pitigianus, Valentia, & alii complures. Probatur *primò*: ad hoc ut aliquid sit proximè definibile, non requiritur, ut sit expressè & formaliter revelatum in Verbo Dei scripto, quia quæ sic sunt formaliter revelata, non amplius indigent definitione; sed jam censentur esse definita cum cæteris Scripturæ veritatibus, sufficit ergo, ut sit implicitè, & virtualiter revelatum, & Summo Pontifici vel Concilio generali congruè propositum: sic præceptum confessionis continetur tantùm implicitè in his verbis: *quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Joan. 20. & tamen Tridentinum contra modernos Hæreticos id definivit, & asseruit contineri in præfatis verbis Evangelistæ Joannis. Sicuti ergo præceptum confessionis ex dictis verbis fuit proximè definibile propter virtutem & necessariam continentiam, quatenus remissio peccati prærequirit confessionem peccati, ita etiam Immaculata Conceptio proximè erit definibilis ex istis verbis Cant. 4. *macula non est in te,* quia licet non expressè nominet maculam originalem, loquitur tamen indefinitè, & sic de omni macula. Item ex his verbis: *Ave gratia plena,* Luc. 1. quia removet, omne væ, seu genus maledictionis, & dicit *gratia plena,* ubi licet gratia primævæ

innocentiæ seu præservans ab originali non explicitè ponatur, intelligitur tamen, quia verba indefinitè de omni genere gratiæ loquuntur pro lege hujus providentiæ conferri solito, quod revera Angelis, & primis Parentibus fuit concessum. Rursus ad Rom. 5. *unius delicto multi mortui sunt, sed gratia Jesu Christi in plures abundavit.* Ubi implicitè per necessariam consequentiam sola Virgo Deipara sub termino *plures* fuit exempta, cum certum sit, quod omnes cæteri Adæ Posterii in Adamitico delicto mortui sint.

N. 451. Probatur *secundò.* Definibilitas proxima potest oriri etiam ex Verbo tradito, nec requiritur, ut traditio sit omnino certa, & prorsus indubia, sic præsens numerus librorum Canoniorum non constat ex verbo scripto, & habet traditionem ante Tridentinum controversam, & tamen Concilium hunc definivit: item quod Deipara *ante, in, & post* partum sit Virgo, non exprimitur in verbo scripto, & tamen ex Traditione Lateranense Concilium Consult. 5. Can. 3. hoc definivit. Rursus immunitas Beatæ Virginis à peccato actuali non aliter constat ex sacris litteris, quàm immunitas ab originali, & tamen fuit proximè definibilis, & actu definita in Concilio Claromontano sub Urbano II. & supponitur à Tridentino Sess. 6. Can. 23. par igitur omninò ratio est de definibilitate proxima immunitatis ab originali & actuali. Item ipsi Apostoli prædicarunt, omnes esse mortuos in delicto Adæ, gratiam tamen Christi in

in plures venisse, ut legitur ad Rom. 5. & quia hanc pluralitatem in sola Virgine salvare potuerunt, hanc solam exceperunt, & idcirco gratia plenam esse per recessum ab omni peccato, & sine jactura innocentiae fidelibus annuntiarunt, & tradiderunt in ipsa Salutatione Angelica, quae indubie ortum habet ab Apostolis.

N. 452. Probatur *tertio*. Conclusiones Theologicae sunt juxta Theologos proximè definibiles propter necessariam connexionem cum revelatis, sed sententia pia est in debita deductione conclusio Theologica: ergo est proximè definibilis. *min. prob.* sententia pia potest deduci ex his praemissis: quod ab universa Ecclesia sub universali praeepto colitur ut sanctum, hoc infallibiliter est sanctum, quia Ecclesia in universali cultu stante sub praeepto dirigitur à Spiritu sancto, ut errare non possit, sed praeservatio ab originali colitur ab Ecclesia sub universali praeepto, ut constat ex Bulla Alexandri VII. incipiente: *Sollicitudo omnium*, & ex Bulla Clementis XI. *Commissi nobis*: ergo Deipara Virgo est infallibiliter ab originali praeservata, & in sua conceptione sancta, & sic ista praeservatio propter connexionem cum his praemissis est proximè definibilis. *Confirmatur*, est proximè definibile, vel actu de fide juxta P. Suarez 3. p. disp. 11. sect. 2. quod corpus Christi non fuerit prius animatum quam assumptum, seu quod animatio & assumptio fuerint simul facta, quia universa Ecclesia celebrat festum Incarna-

tionis pro die Animationis: ergo pariter Immaculata Conceptio erit proximè definibilis, quia colitur ab universa Ecclesia.

N. 453. Probatur *quarto*. Aliae veritates censebantur habere proximam definibilitatem post moralem diligentiam adhibitam pro inquisitione veritatis, sed pro Immaculata Conceptione debite cognoscenda & discutienda omnino moralis diligentia fuit adhibita, & tanta, ut major desiderari vix possit: ergo est in statu proximae definibilitatis. *min. prob.* ex tot jam examinibus, quae praecesserunt, & in quibus semper victrix evasit: sic *primo* fuit ex proposito subjecta disputationibus publicis in Universitate Parisiensi, & ita victrix evasit, ut sententia opposita fuerit eliminata. *Secundo* fuit reassumpta in Concilio Basileensi, & à viris expertissimis gravissimè discussa, ac demum solemnè definitione jam actu sancita *tanquam fidei consentanea*. *Tertio* fuit à gravissimis Theologis discussa coram Sixto IV. qui his disputationibus, & conclusionibus motus festum Immaculatae Conceptionis cum Missa & Officio proprio instituit. *Quarto* fuit novo examini subjecta sub Paulo V. qui idcirco adversae parti silentium indixit pro publicis concionibus, & disputationibus, quod postea Gregorius XV. etiam ad privata colloquia extendit; post hæc igitur tam gravia examina & concertationes, in quibus semper victrix evasit, vix major alia deliberatio requiri poterit ad actualem definitionem, cum in
nulla

nulla alia controversia ac veritate, quæ ab Ecclesia definita fuit, major industria adhibita fuerit: ergo prorsus indubiè proximè est definibilis.

N. 454. *Objicies primò.* In ipso Concilio Tridentino pia sententia sub examen fuit vocata, & tamen Concilium à definiendo abstinuit non aliter, quàm Pontifices prælaudati abstinuerunt: ergo nondum videtur esse in statu proximo definitionis, seu sub proxima definibilitate. *Respondeo*, genuinam rationem, cur Concilium Tridentinum abstinuerit à definitione referri à Nicolao Lancitio opusc. 11. cap. 13. quia nempe Imperator Ferdinandus suis literis constanter urfit, ut illæ solùm disputationes maturarentur, quæ seruirent ad convellendos Hæreticorum germanorum errores, aliis, quæ salva fide inter Catholicos agitantur, in tempus opportunius dilatis. Cæterùm addit Lancitius, se legisse & descripsisse anno 1599. ex originalibus actibus Concilii Tridentini sibi ex licentia Clementis octavi ad aliquot horas exhibiti, ex aliquot decedibus Episcoporum, qui fuerant deputati ad tractandum de Immaculata Conceptione, omnes asseruisse, fuisse sine peccato originali conceptam, solos quinque contrarium dixisse, postea in alia Sessione fuisse conclusum, ut tandem determinaretur à Concilio Tridentino, illam esse conceptam sine peccato originali, sed ob instantissimas preces aliquot Episcoporum, & Theologorum ex Ordine S. Dominici Concilium supersedisse à definitione. Ita Lancitius de cujus sinceritate & fide dubitandum non est: ergo obex non erat defectus proximæ definibilitatis,

Theolog. Mariana.

sed alia rationes, puta bonum pacis inter Catholicos, & necessitas proponendi ad controversias decidendas contra Hæreticos.

N. 455. *Objicies secundò.* Quando Paulo V. à Legato Philippi III. Hispaniarum Regis fuit propositum, quòd mysterium hoc possit defini, respondit, hic non agi de sua definiendi potestate, sed de rei convenientia, & necessitate: ergo hoc ipso non est proximè definibilis pia sententia, quia aliqua obstant. *Respondeo*, proximam definibilitatem non esse metiendam à motivis extrinsecis non spectantibus ad veritatem rei, & cognitionem ejus, sed ab hoc, quòd mysterium sit verum, & sufficienter cognitum quæ tale, ut ex hucusque adductis patet, idèd dubitari non debet, quin sit proximè definibile.

N. 456. *Objicies tertio.* Ad hoc ut sententia sit proximè definibilis, debet esse Concilio generali proposita, & majoritate votorum conclusa, sed hoc pro nunc non fit: ergo pro nunc sententia pia non est proximè definibilis. *Respondeo primò*, contrarium constare evidenter à factò Summorum Pontificum; multi enim extra Concilia definiunt, uti Cornelius Romanus sancivit sine Concilio generali, Baptismum Hæreticorum esse validum. Innocentius I. definivit necessitatem gratiæ contra Pelagium. Syriacus declaravit Virginitatem esse nuptiis excellentiorem contra Jovinianum. Sixtus quartus damnavit propositiones Petri Oxomensis. Leo X. plures Lutheri,

B b

Pius

Pius V. multas Michaelis Baji, & alii Pontifices alias, & per consequens ab exemplis constat, definitionem Pontificis non dependere à Concilio. *Respon- deo secundo*, quòd Pontifex sit caput Ecclesiæ, & controversiarum, quæ in Ecclesia oriri possunt, Judex supremus, pro quo in persona Petri Christus oravit: *ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua*, Luc. 22. unde ipsum Concilium non habet infallibilitatem, nisi Pontifex confirmet; non igitur Pontifex ad definiendum indiget Concilio generali, sed tantum ne temerè agat Concilio Cardinalium, & virorum doctorum pro ratione controversiæ necdum satis notæ, ac discussæ.

ARTICULUS VI.

Utrum mysterium Conceptionis sit in statu Canonizationis?

N. 457. **O**bservo, Canonizationem esse declarationem sanctitatis alicui Servo Dei, aut mysterio ab Ecclesia tributæ, & hæc dividitur ab Eminentissimo Cardinale de Lambertinis, nunc supremo Ecclesiæ Capite libro de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione lib. 1. cap. 41. in *formalem*, & *virtualem*, seu *æquipollentem*. Formalis est, quæ fit per sententiam definitivam, qua Servus Dei pronuntiatur esse sanctus, & cælo receptus, & per consequens ab omnibus Christi fidelibus colendus, & invocandus. *Virtualis* est, qua sine sententia definitiva de sanctitate alicui servo Dei universali Ecclesiæ præcepto

defertur cultus & veneratio per Officii recitationem, & Missæ celebrationem. Ita modernus Sanctissimus libro citato, ubi addit, quod utraque Canonizatio in Ecclesia vigeat, & vi utriusque Servi Dei verè habeantur ab Ecclesia pro Sanctis. Sic sequentes Sancti Romualdus, Robertus, Bruno Carthusianorum fundator, Petrus Nolasus, Raymundus Nonnatus, Joannes de Matha, Felix de Valois, Margaritha Scotorum Regina, Stephanus Hungariæ Rex, Wenceslaus Bohemiæ dux, Gregorius Papa VII. pluri- mi alii Martyres, Pontifices, Confes- sores, Virgines &c. fuerunt tantum virtualiter canonizati per delationem cultus universalis Ecclesiæ, & tamen habentur ab Ecclesia pro verè Sanctis. Hoc observato quæritur, utrum Immaculata Deiparentis Conceptio sit verè canonizata, & ita pia sententia cum illa in statu Canonizationis? ad quod

N. 458. Dico. Immaculata gloriosissimæ Virginis Conceptio est verè canonizata, & ab Ecclesia agnita, & proposita ut sancta. Ita P. Vega in Theologia Mariana num. 407. & apud ipsum Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. Ægidius lib. 3. de præsent. Virg. q. 6. a. 1. §. 9. Benedictus Piazza in libro, cui titulus causa Immacul. Concept. art. 3. fol. 396. Vincentius Justinianus Ord. Prædic. lib. pro Immacul. Concept. confid. 4. & alii. Probatur *primò*: Ecclesia variis modis declaravit, quod colat Conceptionem Deiparæ tanquam *sanctam*, &

immaculatam. Sic Concilium Basileense, postquam declaravit Immaculatæ Conceptionis sententiam piam esse & consonam fidei catholica, festum ejus ita confirmat. *Renovantes præterea institutionem de celebranda sancta ejus conceptione, quæ tam per Romanam quàm per alias Ecclesias quarto Idus Decembris antiqua & laudabili consuetudine celebratur.* Deinde Sixtus IV. expressè profitetur in Constitutione: *cùm præcella, quod sanctæ & Immaculatæ Conceptionis festum cum Missa & Officio proprio instituerit, in quo canitur: Immaculatam Conceptionem Virginis Mariæ celebremus. Insuper in Constitutione græve nimis: falsam, erroneam, & à veritate prorsus alienam reprobavit assertionem dicentium, sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat conceptione. & sanctificatione Virginis gloriosa festum celebrare.* Postea Gregorius XV. severè præcepit, *ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac divino officio non alio, quàm conceptionis nomine uteremur.* Quo præcepto declaravit, ipsam conceptionem coli tanquam sanctam, & cultu dignissimam, uti officii verba sonant. Pariter Alexander VII. in Constitutione: *Sollicitudo omnium declaravit, gratiam primæ instantis, & præservationem Beatæ Virginis ab originali esse unicum objectum festi Conceptionis à Romana Ecclesia instituti, & constanter celebrati; denique Clemens XI. universis & singulis fidelibus graviter præcepit, ut juxta consuetudinem hætenus receptam colant Deiparam sine labe conceptam pro die octava Decembris.* Ex quibus apertè liquet, quod

Immaculata Conceptio sit revera ab Ecclesia canonizata, id est, mysteriis sanctitate præditis annumerata, & tanquam sancta declarata, & quia illud saltem virtualiter canonizatum esse noscitur, cui publicus cultus universalis præcepto Ecclesiæ destinatur, non est neganda canonizatio virtualis huic mysterio, utpote quod nunc sub universalis Ecclesiæ præcepto colitur.

N. 459. Probatur *secundò.* Sancti illi habentur pro verè canonizatis, qui vel definitiva sententia declarantur ut Sancti, vel quibus etiam sine definitiva sententia universalis præcepto Ecclesiæ destinatur publicus cultus fidelium, uti constat ex Num. 1. ergo etiam mysteria illa habenda sunt pro verè canonizatis, quæ declarantur esse sancta, & quibus universalis Ecclesiæ præcepto destinatur festivus cultus fidelium; subsumo, sed Conceptio B. Virginis declaratur esse sancta, quia à Gregorio XV. præcipitur, ut in Officio divino omnes nomine *Conceptionis* utantur, & hanc tanquam sanctam colant, & prædicent: item quia Alexander VII. declarat, unicum objectum festi conceptionis esse gratiam primæ instantis, & præservationem ab originali; insuper huic mysterio destinatur cultus universalis Ecclesiæ præcepto: ergo habendum est pro canonizato. *Confirmatur.* Nativitas Beatæ Virginis habetur pro canonizata: ergo etiam Conceptio habenda est pro tali. Conseq. probatur: utraque est objectum cultus festivi, & præcepti, & habent ambæ eandem solemnitatem Rituum,

preces Ecclesiasticas, Officium, & Missam ejusdem formæ, & rationis, atque præter hoc specialem hanc præminentiam conceptio possidet, quòd nondum similia decreta à Sede Apostolica pro Nativitate prodierint, sicut in favorem conceptionis, non enim damnantur illi, qui festum Nativitatis accipiunt pro festo Nativitatis spiritualis, nec præcipitur omnibus, ne alio nomine quàm Nativitatis in divinis Officiis utantur, nec declaratur expressè objectum festi Nativitatis à Romana Ecclesia instituti esse immunitatem à peccato originali, neque tot indulgentiæ, & privilegia festo Nativitatis à Sede Romana attribuuntur, sicuti festo Conceptionis, adeoque Conceptio æquè habenda est pro canonizata, quàm Nativitas.

N. 460. Objicies *primò*. Lampridius cap. 12. pag. 83. illorum confidentiam vocat mirabilem, qui asseverant, piam sententiam ab Apostolica Sede jam esse canonizatam: ergo non videtur dicendum, quòd sit canonizata. *Respondeo*, sugillationes Lampridii nimis confidenter prolatas non esse præferendas argumentis solidis hucusque allatis, est enim certum ex declarationibus summorum Pontificum, quòd Ecclesia colat Immaculatam Conceptionem tanquam *sanctam*, & quidem ex universali præcepto omnibus & singulis fidelibus imposito, cujusmodi cultus est canonizatio saltem *virtualis*, ut constat ex moderno summo Pontifice in præstantissimo libro à Num. 1. laudato.

N. 461. Objicies *secundò*. Canonizatio est definitio mysterii, sed Conceptio Immaculata necdum est definita: ergo neque canonizata. *Respondeo*, quòd definitio Ecclesiæ sit duplicis rationis, una est supremi ordinis, quà definitur seu proponitur ab Ecclesia aliqua veritas fidei tanquam necessaria ad salutem necessitate præcepti, sic ut oppositum sit hæreticum, & censuris, ac pœnis puniatur. Altera definitio est inferioris ordinis, qua definitur & proponitur aliquid tanquam verum, sic tamen, ut non prohibeatur oppositum, & puniatur censuris, ac pœnis, quia talis veritas non est tam evidenter, & perspicuè de fide; hujus generis est definitio per canonizationem tam formalem quàm virtualement, quia dum aliquid ab Ecclesia pronuntiatur sanctum, e. g. dum aliquis servus Dei canonizatur, debet ut Sanctus haberi, non tamen præcipitur, ut fide divina credatur tanquam sanctus, sic ut oppositum habeatur tanquam hæreticum, & ita puniatur censuris, ac pœnis hæresi propriis.

ARTICULUS VII.

Utrum Sententia pia sit metaphysicè certa?

N. 462. **O**bservo, certum esse in triplici gradu: Primum est *metaphysicè* certum; quòd nec naturaliter, nec supernaturaliter ac miraculosè aliter esse potest, ita certum est, quòd bis tria sint sex, pars minor sit toto, quævis res sit vel non sit, tempora-

poraneum non sit æternum, & ejusmodi. Alterum est *physicè* certum, quod citra miraculum aliter esse non potest, sic accidentia panis & vini naturaliter esse non possunt sine substantia panis & vini, possunt tamen miraculosè, Mater naturaliter & citra miraculum nequit manere Virgo, mansit tamen per miraculum gloriosissima Dei-parens, naturaliter ignis urit, & comburit, non combussit tamen miraculosè tres pueros Babylonicos. Tertium est *moraliter* certum, quod quidem citra miraculum aliter esse potest, rarissimè tamen est, sic moraliter loquendo est certum, quod promissio viri & foeminae coram altari proprii Parochi facta non sit simulatoria, & tamen talis esse potest, item moraliter certum est, quòd aliquis homo inter omnes viventes modò peccet vel loquatur, & tamen aliter esse potest. quæritur nunc, qua certitudine certa sit sententia pia? ad quod

N. 463. Dico. Sententia pia est metaphysicè certa. Probat *primò*. Ecclesiæ auctoritas in his, quæ spectant ad cultum Dei universaliter præceptum est principium metaphysicè certum, & lumine etiam naturali notum, quod stantibus his promissis, quæ Deus Ecclesiæ fecit Matth. 18. quòd cum ipsa velit esse usque ad consummationem mundi, & quòd sit columna veritatis 1. ad Tim. 3. & quòd fides Petri nunquam sit defectura ad Ephes. 5. & quòd insuper ex suppositione falsi tam gravia, & enormia absurda forent emerfura, his unquam suppositis lu-

men etiam naturale dictat, quòd sit absolutè impossibile, ut pia sententia sit falsa de Immaculata Conceptione, cujus cultum universalem Ecclesia proponit. *Confirmatur*: est metaphysicè certum, ex perpetua assistentia Spiritus sancti desumptum, quòd Pontifex legitime electus, & ab Ecclesia universali receptus sit verus Mas, & verus Christi Vicarius, item quòd Tridentinum fuerit verè in Spiritu sancto congregatum, & inde ejus dogmata sint ab omnibus fidelibus recipienda: ergo etiam metaphysicè certum est ab eadem assistentia Spiritus sancti desumptum, quòd Ecclesia in decernendo cultu Immaculatae Conceptionis non erret, & inde sententia pia sit vera.

N. 464. Probat *secundò*. Pontifex non potest errare in canonizatione Sanctorum, quòd ita certum est, ut teste P. Viva in thesibus damnatis quæst. prodroma num. 11. Bonaventura, Valentia, Bellarminus, Amicus, & alii communius id censeant esse de fide: alii verò cum Suarez, Azor, Granada, esse fidei proximum ex ratione, quam addit P. Viva, quia Pontifex nequit errare in decretis morum, decernendo Sanctum ab universa Ecclesia esse colendum, ubi, si erraret, hominem damnatum coleret: ergo quia immaculata Conceptio est canonizata tum per declarationem, quòd sit sancta per gratiam primi instantis, ut habetur in Decreto Alexandri VII. tum per universalem cultum ab Ecclesia præceptum, ideò circa hanc Pontifex errare non potuit, & sic pia sententia

est irrefragabilis, & certa. Confirmatur. S. Thomas quodlib. 9. q. 5. a. 16. argum. sed contra ita habet: *In Ecclesia non potest esse error damnabilis, sed hic esset error damnabilis, si veneraretur tanquam sanctus, qui fuit peccator &c.* idem dicit S. Hieronymus Comment: in Epist: Pauli ad Philem. col. 448. *qui sanctum dicit esse non sanctum, & rursus non sanctum asserit sanctum, abominabilis apud Deum est.* Quare Ecclesie error foret abominabilis; si conceptionem Dei-paræ proponeret, & mandaret coli ut sanctam, si reipsa foret peccato infecta, & per consequens Ecclesia in hoc errare absolute non potest, & sic omnino certa est sententia pia.

N. 465. Objicies primò cum Valesio Epist. 5. pag. 48. quòd graves Theologi teneant, ex cultu Conceptionis non posse colligi omnimodam mysterii certitudinem. In specie Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. §. Dico secundò, ait: *addo, neque ex festi celebritate colligi posse tantam certitudinem, quanta in alicujus Sancti canonizatione esse solet, quia ipse Pontifex declarat, se solum probare sententiam illam, ut magis piam, & magis probabilem.* Item Vasquez disp. 117. cap. 5. num. 72. inquit: *Summi Pontifices ita instituerunt celebritatem conceptionis, ut nihil de fide certum de illa definitum voluerint, ut autem hoc festum fidelibus concederetur, sat illis fuit existimare, hanc opinionem probabiliorem, & magis piam esse.* Rursus Valentia disp. 2. q. 1. puncto 2. sic habet: *Neque obstat Sixti decretum, nam quamvis approbet, & proponat Christi fidelibus, atque adeò toti Ecclesie, ut con-*

ceptionis istius festum & officium eo nomine, quòd Immaculata, & expers omnis peccati fuerit, concelebrent, non tamen definit, illam fuisse prorsus Immaculatam: ergo ex mente Theologorum non est tanta certitudo sanctitatis hujus mysterii, quanta est sanctitatis alicujus servi Dei canonizati. Respondeo, ex laudatis Theologis non probari intentum Valdesii, quia ante noviora decreta Pontificia scripserunt, in specie P. Suarez nixus erat hac ratione, quàm ipse subjicit: *quia hoc festum primariò fundatur in sanctitate Virginis, consequenter verò respicit circumstantiam temporis ut piè creditam.* Quæ ratio hodie non subsistit, quia juxta decretum Gregorii XV. præcipientis unico nomine Conceptionis uti in divino officio, hoc festum non tantum consequenter respicit circumstantiam temporis, ut piè creditam, sed primariò, quia unicè respicit sanctitatem conceptionis seu primi instantis, prout Alexander VII. postea expressè declaravit, & sic ipsa conceptio canonizatur, & tanquam sancta colenda sub universali præcepto proponitur, non minus quàm aliquis Sanctus, dum ejus cultus ab universali Ecclesia decernitur. Æque parum evincit Valdesius ex Vasquez, hic enim hoc solum dicit, satis fuisse Pontifici, piam sententiam existimare probabiliorem ad hoc, ut festum fidelibus concederetur, non verò ut præciperetur, quia concessio non necessitat universos fideles ad cultum, & ideò potest in sola opinione fundari, econtra præceptum Pontificium universæ Ecclesie impositum necessitat omnes

omnes & singulos fideles ad cultum exhibendum, & ideo est ex afflatu infallibili Spiritus sancti, qui non potest fideles in errorem inducere, & inde requirit infallibilem sanctitatem. denique nihil probat Valdesius ex Valentia; hic enim potius ipsum apertè oppugnat, quia dicit, quod Sixtus Papa non imperet fidelibus cultum conceptionis, & quòd inde non definiat, ipsam fuisse immaculatam. Supponit ergo, quòd festum præcipere sit ipsam sanctitatem definire tanquam indubiam, & certam; licet ergo Sixtus non præceperit cultum, ut rectè dixit Valentia, quia tamen Clemens XI. universis fidelibus hunc cultum præcepit, sic in sententia Valentia habenda est sanctitas Conceptionis pro definita, non definitione determinante aliquid tanquam veritatem fidei, & prohibente ac puniente oppositum tanquam hæreticum, sed definitione determinante aliquid ut colendum, & inde ut verum sine punitione tamen oppositi.

N. 466. Objicies *secundò* cum Valdesio Epist. 4. pag. 29. & seq. si aliquis ex Sanctis, vel canonizatis foret damnatus, nullus error formalis Ecclesiae in ipsum cultum caderet, cum pia intentio colentis generatim feratur in Sanctum, & in Deum Sanctorum suorum glorificatorem, à quo & non à Sanctis beneficia expectamus: ergo non requiritur, ut Ecclesia sit infallibilis in discernendo cultu Sanctorum. *Respondeo*, antecedens non subsistere ex multiplici capite; nam *primò*

non subsistit, quòd si colitur aliquis, qui reipsa est damnatus, nullus formalis error in cultum recidat, quia hoc modo colitur ipse damnatus, non enim hoc cultu ferimur generatim in Sanctos, sed singillatim in illum, quem colimus, & invocamus, neque etiam Ecclesiae præceptum tantum est de colendis Sanctis universim vel conditionaliter, sed etiam est de ipsis absolute, & singulariter, sic Bulla canonizationis determinat cultum alicui in singulari v. g. Joanni Nepomuceno, Francisco Salesio &c. si ergo hic singularis homo foret damnatus, tunc damnatus reipsa coleretur, & sic error formalis in ipsum cultum caderet. Non subsistit *secundò*, quòd pia intentio colentis tantum in Deum feratur, quia cultus dulciae Sanctis debitus fertur directè & proximè in ipsum Sanctum singularem, quem colimus, & invocamus, tanquam intercessorem nostrum apud Deum, quamvis etiam remotè & sub ratione quadam communi, quatenus juxta Dei beneplacitum & præceptum est, & Deus tanquam sibi factum acceptat, quod Sanctis fit, etiam in Deum tendat: ergo nulla est hæc Valdesii objectio.

N. 467. Objicies *tertiò* cum eodem loc. cit. interdum Reliquias veneramur, quæ fortassis ad hominem minimè beatum pertinent, quin per hoc erremus, vel error censeatur perniciosus Ecclesiae: ergo idem dicendum circa cultum Immaculatae Conceptionis. *Respondeo*, cum Covarruvias Episcopo Segoviensi tom. 2. lib. 1. variar.

Resol.

Resol. cap. 10. pag. 59. Ecclesiam quidem definivisse de quibusdam Dei servis, quòd sint sancti, non tamen de eorum sacris corporibus vel Reliquiis: sic definivit S. Joannem vel Hieronymum esse sanctum, publicum cultum eis destinando, non tamen definivit caput S. Joannis esse proprium ejus caput, vel corpus S. Hieronymi esse corpus ejus proprium, & si prævia ejus cognitione, & diligenti examine hoc censuisset, dicendum esset, quod Deus optimus maximus non esset permissurus, quòd summus Pontifex posset falli, & nos in Ejus judicio decipi.

N. 468. Objicies *quarto* cum eodem. Profitemur articulum fidei in adorandis hostiis ritè consecratis, & tamen caremus ineluctabili certitudine, quòd singulæ hostiæ sint ritè consecratæ: ergo etiam possumus confiteri cultum Sanctorum, & mysteriorum, quin certi simus de singulis Sanctis & mysteriis, quòd potiantur vera sanctitate. *Respondeo* cum Ambrosio Catharino lib. 1. de certa Sanctorum gloria pag. 13. quod Ecclesia nihil determinaverit de quavis hostia in particulari, quòd ibi sit Christus, sed quòd hoc determinet judicium nostrum de consecratione hujus hostiæ in particulari, & sic si error contingeret, non posset imputari Ecclesiæ, sed imbecillitati nostræ; manet tamen obligatio adorandi hostiam, quamdiu prudens dubium non occurrit de hoc, an sit consecrata.

N. 469. Objicies *quinto*: per hoc quòd Ecclesia celebret festum Beatæ Virgi-

nis sub titulis ad Nives, de monte Carmelo, de Mercede & his similibus, non evadunt hi tituli indubitati, neque, si forent falsi, coleretur ab Ecclesia sanctitas falsa, vel peccatum: ergo etiam licèt Ecclesia celebret festum Conceptionis, non sequitur, quod si Conceptio non sit reipsa verè sancta, Ecclesia celebret sanctitatem falsam vel peccatum. *Respondeo*, esse latam disparitatem de festis sub titulis ad Nives, de monte Carmelo, de Mercede, & sub titulo Conceptionis: quia priores tituli non sunt ipsum objectum cultus, neque sunt objectum specialiter approbatum ab Ecclesia, cum Ecclesia nec colat, nec approbet specialiter miraculum ad Nives, & historias de Monte Carmelo, & de Mercede, sed tantum inde occasionem sumat colendi Beatam Virginem tanquam Matrem beneficiis plenam; e contra Conceptio ipsa Beatæ Virginis est objectum cultus specialiter approbatum, & declaratum ab Ecclesia, ut patet ex Gregorii XV. Decreto præcipiente, uti nomine *Conceptionis* in Officio, in quo expressè vocatur sancta, & decreto Alexandri VII. in quo gratia primi instantis, & præservatio ab originali proponitur ut objectum cultus pro festo Conceptionis, & sic non potest non esse certa Conceptionis sanctitas in Deipara Virgine, sicut instantia est in Nativitate, & Assumptione Beatæ Virginis, quæ per omnia æquiparantur Conceptioni, imo Eminentissimus Cardinalis Gotti inde etiam certam enuntiat Beatæ Virginis Præsen-

sentationem in templo: quia Ecclesia, inquit, tom. 4. de verit. Relig. p. 1. cap. 3. §. 4. etiam latina celebrando hoc festum approbavit ejus objectum, quod est Maria in templo presentata, nescio, quomodo possit in dubium hodiernis temporibus revocari.

N. 470. Objicies sextò. Non esse similem rationem inter festum Conceptionis ex una, & festum Nativitatis vel Assumptionis ex altera parte, quia licet festum Conceptionis celebret, tamen simul declarat, quòd non intendat oppositam opinionem damnare, & per hoc indicare, quòd non adit omnimoda certitudo sanctitatis, quòd non sit circa Nativitatem, & Assumptionem: ergo non est facienda paritas. *Respondeo*, esse falsum, quòd ex sensu Ecclesiæ major certitudo sanctitatis accedat Nativitati, & Assumptioni, quàm Conceptioni, quia publicus universalis cultus utrinque est præceptus ab Ecclesia, & sic omnia tria festa pariformiter sunt canonizata, & inde certa de sanctitate, quòd verò circa solam Conceptionem Ecclesia expressè addat, quòd non intendat damnare opinionem oppositam, in causa est, quòd circa solam Conceptionem fuerit controversia mota de sanctitate & cultu, & ideò voluit Pontifex expressè declarare, quòd sit colenda ut sancta, & ita canonizare, simul tamen addere, quòd necdum definiat tanquam materiam fidei: & oppositum damnet ut hæreticum, sed quòd definiat tantum ut materiam morum & cultus, & ita canonizet, per quòd

Theolog. Mariana.

oppositum non dicitur damnari, sed tamen sic infirmari, ut verum non amplius esse possit, quia Pontifex æquè infallibilis est in materia morum, & cultus, quàm fidei.

N. 471. Objicies septimò. Beatissima Virgo non tantum rectè colitur, & honoratur in prærogativis certis, & indubitatis, uti sunt Maternitas Dei, Virginitas, & Immunitas à peccato actuali, sed etiam in prærogativis ipsi probabiliter convenientibus, uti in excessu super omnes Sanctos collectivè sumptos, inimmunitate à fomite peccati, in annulo, quo S. Josepho fuit desponsata, in vestibus, velo, capillis, & aliis Deiparæ Reliquiis: ergo etiam rectè colitur propter immunitatem à peccato originali, licet hæc de se non foret certa, sed tantum probabilis. *Respondeo*, non esse hic quæstionem de cultu ab Ecclesia permissò, & Regulis prudentiæ nostræ conformato, sed de cultu ab Ecclesia universis Christi fidelibus præcepto, priori potest subesse falsum materiale, & objectivum, quia prudentia nostra principiis probabilibus innixa nequit esse regula infallibilis; econtra Auctoritas Ecclesiæ fidelibus sub gravi præcipiens cultum est regula infallibilis, cui nequit subesse falsum, cum Spiritus sanctus non permittat, ut Ecclesia in Regimine suo quoad materiam fidei & morum fallat, uti satis jam ostensum est.

N. 472. Objicies octavò. Datio elemosynæ, & adoratio hostiæ sunt de præcepto, & tamen eis subesse potest

C c

fal-

falsum: ergo ex eo, quod cultus Conceptionis sit de præcepto, non sequitur, quod sit infallibiliter verus. *Respondeo*, esse longam disparitatem inter dationem eleemosynæ, & adorationem hostiæ ex una parte, & cultum Conceptionis ex altera, quia priores isti actus determinantur solum in genere à lege tum divina, tum humana Ecclesiæ; iudicium verò particulare circa hunc pauperem, & hanc numero hostiam relinquitur dictamini prudentiæ nostræ, & quia hoc non habet adpromissam assistentiam Spiritus sancti, ideo non repugnat, quin talis actus sit in se & objectivè falsus, supposito nempe, quod homo, cui datur eleemosyna reipsa non sit pauper, vel hostia non consecrata; e converso cultus Conceptionis Beatæ Virginis determinatur in se, & in particulari ab Ecclesia, & ideo absolutè repugnat eum esse falsum, quia fieri non potest, ut Spiritus sanctus fideles omnes una cum suo capite ita deserat, ut colant peccatum seu conceptionem peccato infectam, idque ex præcepto à Capite imposito sub gravi obligante.

ARTICULUS VIII.

Utrum quoad nostrum opinandi modum sit de fide, Beatam Virginem esse sine labe conceptam?

N. 473. **O**bservo, esse certum, quod non sit absolutè, seu quoad omnes de fide, Beatam Virginem esse sine labe conceptam, quia ad hoc, ut aliquid sit absolutè, & quoad om-

nes de fide, debet liquidò constare, vel ex revelatione formali & clara, vel ex definitione expressa Ecclesiæ, utrumque autem deficit in mysterio Conceptionis, quia nec est formaliter, & liquidò revelatum, nec expressè definitum ab Ecclesia, unde quæstio solum est de fide respectiva quoad nos, seu quoad nostrum opinandi modum? nam quoad hunc multa sunt controversa, an sint de fide? Sic controvertitur inter Theologos, utrum de fide sit, hunc numero Pontificem modò regnantem esse verum Christi Vicarium? Consimili modo inquiremus, an de fide sit, Deiparam Virginem esse sine labe conceptam? ad quod

N. 474. Dico *primò*. Non est contra Bullas Pontificias dicere, quod de fide sit quoad nostrum opinandi modum Beatam Virginem esse sine labe conceptam. Ita Vega in Theol. Marian. num. 303. & alii passim. Ratio est, quia in Bullis Pontificiis solum prohibetur, assertores contrariæ sententiæ arguere hæreseos vel peccati mortalis, sed dicere, esse de fide quoad nostrum opinandi modum, non est alios accusare hæreseos vel peccati mortalis, sed potius excusare, quia respectiva propositio quoad nos tollit obligationem quoad omnes, & sic excusat adversæ partis fautores ab hæresi, & peccato mortali: ergo dicere, quod de fide sit quoad nostrum opinandi modum, Beatam Virginem esse sine labe conceptam, non pugnat contra Bullas Pontificias.

N. 475. Objicies, qui dicit, esse de fide quoad suum sentiendi modum Beatam Virginem esse sine labe conceptam, affirmat sententiam adversam quoad suum sentiendi modum esse hæresim, sed hoc pugnat contra Bullas Pontificias: ergo etiam dicere, esse de fide quoad suum sentiendi modum, Beatam Virginem esse sine labe conceptam. *Respondeo*, summos Pontifices solum prohibere censuras ferendas in personas seu in assertores contrariæ sententiæ; nostra autem assertio non taxat personas, sed potius per terminum *respectivum ad nos* excusat, & per consequens non stat sub prohibitione; item assertio nostra non dicit, esse de fide catholica & universali obligante omnes ad credendum, sed esse de fide privata & particulari, relatè nempe ad nos, & per consequens nostra assertio sententiam piæ adversam non notat hæresi.

N. 476. Dico *secundò*. Immaculata Conceptio est omnino de fide respectivè ad nostrum sentiendi modum. Ita Vega in Theol. Marian. num. 303. Probatur *primò*. Est communissima sententia, quòd conclusio Theologica deducta ex una revelata, & altera metaphysicè certa sit de fide, sed Conceptio Immaculata potest à nobis fieri conclusio Theologica deducta ex una revelata, & altera metaphysicè certa: ergo Conceptio Immaculata potest juxta nostrum sentiendi modum esse de fide. *min. prob.* Conceptio Immaculata est conclusio in hoc Syllogismo: *pro instanti, quo quis in gratia est constitu-*

tus, est mundus à peccato, sed Virgo Deipara pro primo Conceptionis instanti in gratia est constituta; ergo pro primo Conceptionis instanti est munda à peccato. Major hujus Syllogismi est de fide, ac definita in Tridentino [Sess. 6. c. 7. Minor verò est metaphysicè certa, quia innixa Auctoritati Ecclesiæ in materia fidei, & morum de se infallibilis, & expressè præcipientis cultum Deiparæ prout sine labe conceptæ, seu pro primo Conceptionis instanti in gratia constitutæ: ergo conclusio immaculata potest esse conclusio Theologica deducta ex una revelata, & altera metaphysicè certa.

N. 477. *Confirmatur.* Sanctiones Tridentini sunt de fide, quia metaphysicè certa est assistentia Spiritus sancti tam in Concilio legitime congregando, tam in sanctionibus constituendis; atqui æquè certa est assistentia Spiritus sancti in præcipiendo universali cultu Ecclesiæ circa Immaculatam Conceptionem, cum ex errore Ecclesiæ in tali cultu æquè enormia, & grandia absurda evenirent, quàm si Ecclesia erraret in Concilio legitime congregando, vel in statutis faciendis; imò unum ex Statutis est hic ipse cultus, quia Tridentinum confirmavit Constitutionem Sixtinam, in qua hic cultus institutus fuit: ergo ex constitutione universalis cultus Conceptionis Immaculatae rectè infertur, quòd possit fide credi.

N. 478. Probatur *secundò*. Est de fide juxta Torrentem Doctorum apud Clariss. P. Mezger in Theologia Salisbur-

genſi tract. 10. diſp. 11. a. 3. quod Romanus Pontifex à fidelibus univerſim receptus, & agnitus ſit verus Chriſti Vicarius, & Petri Succellor: ergo etiam eſt de fide, quòd Conceptio Beatae Virginis ſit Immaculata, poſtquam univerſis fidelibus cultus ejus eſt præceptus, & receptus. Conſeq. probatur. Æquè certum eſt, & infallibile, quòd fideles univerſim falli non poſſint in recipiendo præcepto Pontificis de cultu Immaculatae Conceptionis, quàm certum eſt, & infallibile, quòd univerſim falli non poſſint in agnoſcendo, & recipiendo ſuo capite ſeu ſummo Pontifice; ergo ſi unum habetur tanquam certum de fide, etiam alterum ita habendum eſt.

N. 479. Probatur *tertiò*. Conceptio Immaculata Beatae Virginis fuit *primò* in ſacris litteris verè implicitè ac virtualiter revelata juxta quaſtionis ſextae Art. 4. *Secundò*, ab Apoſtolis fidelibus tradita juxta Art. 5. *Tertiò*, teſtimonio Patrum omnium Sæculorum confirmata per Art. 6. *Quartò*, Conciliis Eccleſiæ ſtabilita per Art. 8. *Quintò*, Summorum Pontificum decretis roborata per Art. 9. *Sextò*, miraculis innumeris conſtabilita per Art. 10. ergo nihil deeſt, quo minus poſſit credi fide divina. *Confirmatur*. Immaculata Conceptio gaudet æqualibus motivis credibilitatis cum aliis veritatibus fidei: ergo eſt æqualiter de fide. Ant. prob. motiva credibilitatis ſumuntur ex locis priùs citatis, nempe ex Scriptura, Traditione, Teſtimonio Patrum, Oraculis Conciliorum, Sum-

morum Pontificum decretis & miraculis; ſed hæc, ut vidimus, æquè ſtant pro Immaculata Conceptione, quàm pro aliis veritatibus fidei: imò longè clariùs, quàm pro multis aliis, quia non omnes veritates fidei ſunt tantis miraculis confirmatae, & aliis motivis ſtabilita: ergo verum eſt, quòd motiva credibilitatis æquè ſtent pro Immaculata Conceptione, quàm pro aliis veritatibus fidei.

N. 480. Objicies *primò*. Si Immaculata Conceptio eſt de fide, tunc ſententia piæ oppoſita eſt contra fidem, ſeu hæretica, cum revelato uno contradictorio tanquam de fide reveletur alterum tanquam hæreticum, uti de Chriſto, quia de fide eſt, ipſum eſſe Deum, & hominem ſimul, ideò pariter de fide eſt, ipſum non eſſe purum hominem, & eſt hæreticum dicere, quòd ſit purus homo; atqui hoc non eſt licitum dicere, ſententiam piæ oppoſitam eſſe hæreſim, cum pugnet expreſſè contra Bullas Pontificias: ergo neque dici poteſt, quod ſententia pia ſit de fide. *Reſpondeo*, Bullas Pontificas ſolum prohibere, ſententiam piam habere tanquam veritatem fidei abſolutè tenendam ſub univerſali obligatione credendi ſe extendente ad omnes, quod ſolum cadit ſuper veritates expreſſè, & liquido revelatas, vel expreſſè definitas ab Eccleſia, quod de Immaculata Conceptione pro hodie affirmari non poteſt; hinc non obest, quin tamen affirmetur eſſe de fide reſpectivè ad nos, ſeu juxta noſtrum ſentiendi modum, abſtrahendo à cenſura

sura aliorum; sic etiam dicimus de fide esse, quod hic numero Pontifex, qui Ecclesiae praest, sit verus Petri Successor, & tamen veritas haec definita non est, nec per hoc censuram ferimus in assertores contrariae sententiae.

N. 481. Objicies *secundò*. Non possumus nos salva auctoritate Summi Pontificis pro errore habere contra fidem, quod summus Pontifex ab errore excusat; atqui Summus Pontifex Paulus V. sententiam piæ adversam ab errore excusat, cum eam vocando *opinionem* intra limites *opinionis* collocet: ergo non possumus eam agnoscere, ut in fide erroneam. *Respondeo*, verum esse, quod Paulus V. *opinionem* Immaculatae Conceptioni adversam, *opinionem* vocet, sed nomen *opinionis* est indifferens, & applicabile ad *opinionem veram*, & *falsam*, *probabilem*, & *improbabilem*, ad esse *probabilem solidè*, & *apparenter*, *simpliciter* & *respectivè*, quia in numero *opinionum* dantur etiam *falsæ*, *antiquate*, & omnino etiam *damnatae*: nihil ergo contrarium asserimus summo Pontifici, cum hic non dicat, qualis sit *opinio* sententiae piæ adversa, per quod proinde nobis facultatem non abstulit agnoscendi eam tanquam *opinionem* *respectivè* *improbabilem*, *falsam*, & *respectivè* ad nostrum sentiendi modum in fide erroneam, sic nempe intitulando, quatenus *abstractivè* sumitur, & ut error materialis est, manente interea inhibitione, ne tanquam error formalis habeatur, & illi, qui eam tenent pub-

licè, arguantur tanquam hæreseos vel peccati mortalis rei.

N. 482. Objicies *tertio*. Summi Pontifices sententiam piæ adversam solum prohibent doceri, prædicari, & in privatis etiam discursibus defendi relinquendo interim eam intactam quoad suam probabilitatem: ergo quia ipsi non censent, esse in fide erroneam, neque respectivè ad nos talis videri potest. *Respondeo primò*, Sixtum IV. in Constitutione *gravè nimis* expressè damnare assertionem eorum ut *falsam*, *erroneam*, & *à veritate penitus alienam*, qui dicunt sententiam piam tenentes *hæresis crimen vel peccatum mortale incurrere*, quia ergo damnatio unius est definitio alterius, sequitur manifeste, quod sententia pia non sit hæretica, sed infallibiliter vera; adeoque damnatione ista stante nequit sententia piæ adversa amplius esse vera, quia vero non opponitur nisi falsum. *Respondeo secundò*, Alexandrum VII. in Bulla *sollicitudo omnium*: Sub pœnis gravissimis inhibet, ne pia sententia in *dubium* vocetur, atque libros eam in *dubium* vocantes ipso facto declarat prohibitos, ac pœnis gravibus subjectos, per quod sanè sententiae piæ adversæ probabilitas omnis, si quam habuit, aufertur, quia quamdiu duæ sententiae contradictoriae utrinque sunt probabiles, manent verè & propriè dubiæ quoad veritatem, & sic quando una per declarationem & auctoritatem Summi Pontificis prohibetur revocari in *dubium*, evadit per hujus certitudinem altera falsa, quando ergo accedunt aliæ ra-

tiones, potest illis, qui se reflectunt ad tales rationes, una sententia omnino esse de fide, & altera in fide erronea.

N. 483. Objicies *quartò*. Ad hoc, ut sententia aliqua sit de fide etiam respectivè, debet adesse principium infallibile, ex quo inferatur tanquam de fide, sed non videtur adesse principium infallibile, ex quo inferatur pia sententia tanquam de fide: ergo non est de fide. *Respondeo* non unum, sed multiplicia esse principia, ex quibus sat liquido inferitur, piam sententiam esse de fide; nam inter propositiones Bajanas damnatur 73. quæ sonat: *nemo præter Christum est absque peccato originali; hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum, ubi nemo alius ab originali exceptus salva fide videri potest præter Deiparam Virginem, quæ etiam expressè ibidem nominatur, neque hanc propositionem Summus Pontifex præcisè prohibet, sed expressè damnat, quia Pius V. his verbis utitur: quas quidem sententias damnamus, & sic omnem ipsis assensum etiam internum adimit. Præterea Alexander VII. uti superiùs advertimus, insuper prohibet, dictam piam sententiam in dubium revocare, adeoque tuetur illam tanquam certam, & oppositam ut falsam, cum certo non opponatur nisi falsum; ipse etiam Sixtus IV. uti diximus, assertionem damnat, ut *erroneam, & à veritate penitus alienam*, quæ piam sententiam redarguit tanquam hæreticam, & inde contradictoriam, quæ eam*

vocat non hæreticam, sed fidei consonam definit; quia ergo auctoritas summorum Pontificum in statuendis festis, damnandis propositionibus est principium immobile, idè non desunt principia infallibilia, ex quibus sententia pia inferatur esse de fide.

ARTICULUS IX.

Utrum sine omni peccato quis possit interne sentire, Beatam Virginem esse in peccato conceptam?

M. 484. **O**bservo, Lampridium lib. de superstit. vitanda cap. 1. pag. 5. dicere, quòd sit licitum, in intimis cordibus contrarium sentire Immaculatæ Conceptioni, idem repetit sub nomine Valdesii Epist. 3. pag. 18. dicens: *libertatem hæcenus nobis reliquit Ecclesia sentiendi hæc in re, quidquid magis consonum veritati arbitramur: an igitur hoc verum sit, in præsentem discutiendum? fatemur tamen, quòd Sixtus IV. in diplomate grave nimis severe prohibuerit asserere, quòd contrariam opinionem tenentes incurrant hæresis crimen, vel peccatum mortale, sed hoc asserere Sixtus tantum prohibuit, non damnavit tanquam erroneum & à veritate penitus alienum, sicuti è contrario, ipsum asserere, quòd tenentes sententiam piam sint hæreseos vel peccati mortalis rei, non solum pœnaliter inhibuit, sed insuper damnavit tanquam falsum, erroneum, & à veritate penitus alienum, & sic etiam sentire prohibuit, quia nulli unquam licuit assertioni, vel propositioni, quam*
Sedes

Sedes Apostolica damnavit tanquam falsam, erroneam, atque à veritate penitus alienam præbere assensum utcunque internum. His observatis.

N. 485. Dico. Non potest quis per se loquendo sine omni peccato sentire, Beatam Virginem esse in peccato conceptam. Ita Joannes de Cardenas in Crisi Theolog. tract. 1. disp. 9. cap. 18. a. 3. Eminentissimus Cardinalis Everhardus, Nidardus in Exam. Theol. p. 1. §. 3. Thyrsus Gonzalez in tract. Theol. de Immacul. Concept. disp. 2. Sect. 2. num. 18. Matthæus Moja tom. 2. in Append. ad tract. 1. de opinione probabili q. 2. §. 2. num. 18. & probatur primò, est juri Divino & naturali, seu rectæ rationis, & conscientiæ dictamini adversum judicare interius, sanctam Romanam Ecclesiam errare, vel errare posse circa fidem, bonos mores, & cultum divinum, sed qui sentit internè, quòd Beata Virgo sit in peccato originali concepta, illa judicat internè, quòd Ecclesia erret in præcipiendo cultum Conceptionis Immaculatæ: ergo qui ita sentit, illicitè & contra jus divinum & naturale agit. *Confirmatur*, S. Augustinus Epist. 54. ad Incar. cap. 5. num. 6. aliàs Epist. 118. ait: *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit disputare, insolentissima insania est.* Adeoque aperte agit contra rectam rationem & prudens conscientiæ dictamen, qui hîc proprium judicium infallibili judicio Ecclesiæ non subjicit, cùm universa Ecclesia, pro cultu & veritate hujus mysterii stet.

N. 1486. Probatur secundò. Eminentissimus Cardinalis Gotti tom. 4. de verit. Relig. christ. cap. 41. §. 2. censet, quòd hæreseos suspicionem incurrat, qui neget, Virginem in cælum corpore & anima assumptam ex ratione, quam addit, quia de universa Ecclesia opinari, quòd proponat Beatam Virginem sub titulis falsis colendam, non potest carere peccato, & idem dicitur de Virgine, quòd prius fuerit sancta, quàm nata: ergo cùm æqualis ratio pugnet pro hoc, quod fuerit sine Adæ peccato concepta, quia æquè universalis Ecclesia eam proponit colendam sub hoc titulo, quàm sub titulo Assumptionis & Nativitatis, ideò neque tam dici potest de aliis diebus festivis in honorem Beatæ Virginis institutis, puta ad Nives, de Mercede, vel translatae Domus Lauretanæ, & aliis similibus, quia nunquam declaravit Ecclesia, quod miraculum nivis in Romanum collem delapsæ, aut Apparitio Virginis Regi Aragoniæ facta, vel translatio Domus Lauretanæ sint objectum dictarum festivitatum, & quòd eis cultus religiosus debeat impendi à fidelibus, sicut declaravit de Immaculata Conceptione, & sicut observat de Nativitate & Assumptione.

N. 487. Probatur tertio. Vincentius Fassari Societ. Jesu Theologus in Trutina Immacul. Concept. Appendice opusculi secundi quæst. circa Bullam Alexandri VII. sic concludit: *peccant mortaliter omnes illi, qui celebrant festum Conceptionis Virginis sub sensu maculante Deiparam in conceptione, quia supposita insti-*

institutione Ecclesiæ jure divino, & naturali tenentur, se conformare Ecclesiæ in suo sensu & cultu: ergo cum omnes & singuli teneantur ad cultum Immaculatæ Conceptionis, tenentur etiam ad sensum. *Confirmatur*: Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. puncto 2. §. 2. inquit: *neque enim conceptionem Virginis tanquam Immaculatam celebrare veraciter, & sine simulatione potest is, qui non putat esse Immaculatam, committit etiam verum peccatum mendacii, siquidem ille mentitur ait* S. Augustinus lib. de mendacio cap. 3. *qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enuntiat. & si fallendi animus abesset, facto tamen falleret, ac mentiretur. Sicut enim inquit S. Thomas 2. 2. q. 39. a. 2. Falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicujus, qua non essent ei commissa, aut secus, quam commissa sunt, sive dein fallendi animum praeferat, sive non, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo vel Sanctis contra modum divina auctoritate ab Ecclesia constitutum, ut si Conceptionem Virginis celebraret sub sensu interno ipsam Virginem maculante.*

N. 488. Probatur *quarto*. Opinioni Immaculatæ Conceptioni adversæ fuit à Paulo V. & Gregorio XV. omnimodum silentium imperatum, & à Pio V. in Michaele Bajo omnino saltem virtualiter proscripita, & inter alias respectivè damnatas tanquam hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & piarum aurium offensivas Apostolica auctoritate con-

fixa num. 73. ut sonat: *nemo præter Christum est absque peccato originali: hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adamo contractum.* Atqui propositioni sic confixæ non datur assensus internus sine peccato, cum hoc currat contra jus divinum, & naturale: ergo opinioni Immaculatæ Conceptioni adversæ non præstatur assensus internus sine peccato. *Confirmatur.* Nemo sine peccato præstat assensum propositioni hæreticæ vel erroneæ, nemo etiam propositioni suspectæ vel temerariæ, item nemo propositioni scandalosæ vel piarum aurium offensivæ, quia ut habet S. Augustinus in Enchirid. ad Laurentium cap. 19. *error semper malum est aut magnum in re magna, aut parvum in re parva, & piarum aurium offensio, ut dicit Melchior Canus lib. 12. de locis cap. 10. semper crimen est, falsum etiam vel mendacium ab intrinseco malum est: Sixtus IV. autem opinionem sententiam piam damnantem tanquam falsam, erroneam, & à veritate penitus alienam proscripsit: ergo tali opinioni assentiri, non potest carere peccato.*

N. 489. Dixi in Conclusionem per se loquendo seu ex objecto, quia per accidens potest quis ex apparentia probabilitatis, vel invincibili errore aut inadvertentia internum assensum præstare etiam sine peccato, & ideò summi Pontifices prohibent *asserere*, quod contrariam opinionem tenentes incurrant hæresis crimen, vel mortale peccatum, cum utique ab hæresi, & peccato mortali excuset invincibilis error vel ignorantia, & quia hac laborare possunt

possunt illi, qui tenent opinionem piæ sententiæ adversam, idcirco jure prohibetur hæc censura.

N. 490. Objicies *primò*. Sixtus IV. & Alexander VII. inhihent opinionem piæ sententiæ adversam damnare peccati: ergo conclusio, qua dicimus, quod teneri non possit sine peccato, pugnat contra Constitutiones Pontificias. *Respondeo*, Pontifices tantum inhihent sententiam piæ adversam absolute & simpliciter damnare peccati, quod nostra conclusione non asserimus, sed lubentes fatemur, quod contrarium tenentes possint excusari à peccato ex invincibili errore, & apparentia probabilitatis sibi ita visæ, & sic non ferimus censuram in Auctores, neque ipsos judicamus vel damnamus, cum possint à peccato excusari etiam nostro judicio; unde solum id asserimus, quod per se loquendo peccatum sit refragari universali judicio Ecclesiæ, quod cultum præcipit, eumque verum, non animo ficto sed veraci exhibitum; tenens autem opinionem sententiæ piæ adversam nequit alium cultum exhibere nisi fictum, quia credens Conceptionem Virginis esse maculatam non colit, nisi simulatoriè &

fictitiè quæ Immaculatam, quod utique à peccato excusari nequit. Et hoc maxime ipsi quoque summi Pontifices habent pro peccato, quia severè volunt & præcipiunt decretis suis exhiberi obedientiam, & mysterio Immaculatæ Conceptionis cultum verum.

N. 491. Objicies *secundò*. Non est peccatum sentire, quod summus Pontifex de se non sit infallibilis in canonizando, cum nullibi præcipiatur, ut hoc sentiamus: ergo neque erit peccatum sentire, quod Ecclesia non sit infallibilis in cultu Immaculatæ Conceptionis. *Respondeo*, S. Bonaventura in Opusc. contra Guilielmum ait: *ad infidelitatem spectat de Sancti canonizati gloria dubitare, adeoque peccatum est ei non assentiri. Respondeo secundò*, quod par sit ratio, cum Immaculata Conceptio æquè per universalem Ecclesiæ cultum sit canonizata, quàm aliquis Sanctus, & huic assensum non præbere, sine peccato esse non potest, ut patet ex Bullis Canonizationis, sic Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ ait: *hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere, decernimus, & sic contrarium tenere, est contra obedientiam agere.*

